

Addit præterea Paulus non solum non fuisse legem illam necessariam, verum etiam neque efficaciam aut utilitatem ad veram justitiam conferendam per se habuisse, ut supra satis ostensum est; ergo non fuit medium necessarium ad salutem; sed tantum Judæis, quibus præcepta fuit, necessarium fuit illam servare quamdiu illos obligavit. Neque contra veritatem hanc procedit fundamentum hæreticorum, quia lex illa, quocumque modo perpetua fuerit, ut talis erat, non ad gentes sed ad solos Hebræos loquebatur.

8. *Judæi baptizati non tenentur legem veterem servare.* — Superest dicendum de cessatione illius legis respectu Judæorum; et primo, de conversis ad fidem Christi et in illo baptizatis, certum est illos non obligari ad legem veterem servandam, ac subinde respectu illorum propriissime cessasse. Hæc veritas certa fide tenenda est: nam in hoc etiam sensu definita est, et ex Scriptura aperte colligitur. Potestque in hunc modum demonstrari; nam quando lex aliqua cessat vel abrogatur, respectu illorum maxime cessat pro quibus lata est; sed lex vetus lata est pro Judæis, et abrogata est ac cessavit; ergo pro illis maxime revocata est: ergo etiamsi fidem Christi amplectantur, non possunt lege veteri obligari. Major per se nota est; tum quia solvi et ligari respectu ejusdem dicuntur, alioqui opposita non essent; tum quia repugnantiam involvit abrogari legem in se, et non respectu illorum quibus erat imposita, cum totum esse legis sit in ordine ad illos. Unde licet propriissime dicamus gentiles vel Christianos ex gentibus profectos non obligari in illa lege veteri, non proprie dicemus respectu illorum fuisse abrogatam, quia nunquam fuit illis imposita, nec habuit esse legis respectu illorum: at respectu Judæorum propriissime cessasse aut abrogata esse dicitur: si ergo abrogata est, pro Judæis ablata est, quibus erat imposita, ut etiam ostensum est. Quod vero lex illa in se abrogata fuerit, ac cessaverit, pro fundamento positum est in principio capituli, et latius statim ostendetur; nam posito hoc fundamento, cætera evidentè consequuntur. Nam ultima etiam consequentia manifesta est: nam fides Christi, eo quod a Judæis suscipiatur, non suscitatur in eis obligationem legis veteris, quæ per adventum ejusdem fidei sublata est, ut est per se clarum.

9. *Probatum veritas ex Patribus.* — Præterea, fundamentum illud in quo vis tota posita est ex utroque Testamento late confirmant

antiqui Patres; Cyp., l. 1 contra Judæos, cap. 9 et sequent.; Justin. Mart., Dialog. cum Tryphon. contra Judæos; et Tert., lib. contra Judæos; Epiphani., hæc. 30; August., libris contra Faustum, et aliis contra dictum errorem, qui habentur in princ. tomi 6. Aliqua etiam habet Clemens Rom., lib. 6 Const. Apost., c. 12, 20, 21, 22, 23. Multaque ex Hebræis congerit Galatin., lib. 11 de Arcanis, etc., a principio. Nos autem breviter pauca ex utroque Testamento indicabimus; et imprimis videntur optima testimonia quibus Deus olim promisit se daturum novam legem. Quale est illud Jerem. 31: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum, ubi nomine fœderis legem significat, juxta morem Scripturæ, Gen. 17, Exod. 34, Deut. 28; et in eodem loco exponitur, dum subjungitur: Dabo legem meam in visceribus eorum, etc., ubi expendit Paul., ad Hebr. 10 et 8, ubi in fine adjungit: Dicendo novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est. Quod etiam satis indicavit Deus, dicens: Feriam fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum, etc. Nam conferendo illa duo pacta, satis ostendit posterius fuisse futurum longe excellentius et per illud fuisse prius aufereudum.*

10. *Confirmatur.* — Præterea mutationem legis et status illius populi esse faciendam in adventu Messie satis ostendit Deus, dicens per Malach., c. 1: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. In quo aperte prædicatur totum illum cultum sacrificiorum veteris legis abjiciendum a Deo fuisse, et in aliud purissimum sacrificium commutandum, ut exposuit Conc. Trid., sess. 22, c. 1, et in 3 tom. 3 partis tractavimus latius. Idemque significavit Jerem. cap. 23, ubi, præmissa Messie promissione per illa verba: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, etc.,* subditur: *Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent ultra vivit Dominus qui educit filios Israel de terra Ægypti, sed vivit Dominus, qui adduxit et reduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, et de cunctis terris. Unde Isai., cap. 43, loquens a principio capituli de vocatione Judæorum ad Christum, et ad conversos et credentes in illum (ut egregie exponit Hiero-**

nymus), tandem concludit: *Ne meminertis priorum, et antiqua ne intueamini.* Quæ verba licet Hieronymus referat ad signa et mirabilia antiqua, non negat posse etiam optime referri ad legem, et sacrificia, aliasque cæremonias ejus. Sicut per figuram etiam indicatum est Levit. 26, cum dicitur: *Vetera novis advenientibus projicietis.* Per hæc igitur omnia significatum est cæremonias legis veteris antiquandas fuisse in adventu Messie.

11. *Ex testamento novo.* — Denique ut ad novum Testamentum transitum faciamus, hoc confirmat Paul. ad Hebr. 7, ex illo Psal. 109, ubi de Christo dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Inde enim colligit per Christum aliud sacerdotium novum instituendum et introducendum fuisse, inferens vetus fuisse temporale, novum autem fore æternum. Ac deinceps subjungit regulam: *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat;* nam hæc duo necessaria sese concomitantur. Ex quo tandem concludit: *Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem.* Maxime vero prosequitur argumentum hoc idem Apostolus in Epist. ad Rom., et ideo in cap. 1 præmittit: *Non erubescio Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco;* et cap. 3: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio, etc.;* quod late per sequentia capita prosequitur; et cap. 10 adjungit: *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.* Idem in Epistol. ad Galat., ubi, cap. 2, sic Petrum alloquitur: *Si tu Judæus cum sis, gentiliter vivis, et non judaice, quomodo cogis gentes judaizare! Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores: scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide, non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et cap. 3: *Ubi venit fides, jam non sumus sub lege;* et infra: *Non est Judæus, neque Græcus, etc.,* quod latissime confirmat cap. 4 et 5, ubi concludit: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.*

12. *Ex his testimoniis rationes colliguntur.* — Atque ex his testimoniis possunt variæ rationes hujus veritatis colligi. Prima, quia non est minus sufficiens fides et gratia Christi pro

Judæis quam pro Gentilibus; sed Christianis ex gentibus conversis sufficit observantia Evangelii sine observantia legis; ergo etiam Judæi per Evangelium liberati sunt a jugo legis. Secunda, quia Christus omnes indifferenter vocat ad jugum suum, quod suave esse dixit; ergo nullis hominibus in Christum credentibus necessarium est jugum legis, sive Judæis, sive gentibus. Tertio, etiam respectu Judæorum fuit illa lex imperfecta et inefficax ad justitiam, et quasi per occasionem posita est propter imperfectionem illius populi, ut esset quasi pædagogus; ergo, adveniente lege perfecta obligante et justificante Judæos, cessare debuit imperfecta.

13. *Objectio.* — *Responsio.* — Ut tamen hæ rationes amplius declarentur, objici potest quia lex semel lata non abrogatur, nisi per expressam revocationem, vel per legem posteriorem incompossibilem priori: sed in lege nova, ut lata a Christo, non invenitur expressa revocatio legis veteris, nec illæ leges sunt incompossibiles, sed possunt simul observari: ergo posterior non revocavit priorem, saltem respectu illius populi quem vetus obligabat: ergo non est unde sit abrogata. Respondetur vero inprimis negando ultimam consequentiam. Nam præter illos duos modos abrogandi legem, invenitur tertius, qui est ut lex per se ipsam cesset per temporum mutationem et successionem, per quam completur terminus pro quo posita est. Ita enim cessavit lex vetus; nam posita fuit *donec veniret semen,* id est, Christus, ut ait Paul. ad Galat. 3. Nam finis illius legis fuit Christus, ut idem dixit ad Rom. 10, et ideo completo illo fine ac termino cessavit absque alia abrogatione. Propter quod dicitur Lucæ 16: *Lex et propheta usque ad Joannem:* et infra hoc magis constabit, cum agemus de tempore quando lex illa mortua esse incepit.

14. *Responsio.* — Deinde respondetur negando minorem quoad secundam partem ejus, quia, licet verum sit Christum in lege sua tradenda non addidisse formalia verba revocatoria legis prioris, nihilominus simpliciter verum est sua nova lege veterem abrogasse, id enim significavit Paul. ad Ephes. 2, dicens: *Legem mandatorum decretis evacuans.* Quod enim ait *decretis,* idem significat quod per decreta sua. Nec audiendi sunt Erasm. et Cajet., qui vocem *decretis,* seu *in decretis,* referunt ad legem veterem, ita ut sensus sit, evacuans legem mandatorum in decretis, supple, existentem. At recte intellexit vulgatus interpret



particulam *in*, licet in Græco habeatur, non esse necessariam: et licet addatur, optime significare potest idem quod *per*, ita ut sit sensus, *Evacuans in decretis*, id est, per decreta; et ad tollendam æquivocationem recte positum est absolute *decretis*; neque enim recte vox illa refertur ad decreta legis veteris; tum quia fit inutilis repetitio; tum quia oportet aliquod verbum subintelligere sine necessitate; tum denique quia repugnat communi Patrum expositioni. Unde Chrysostomus ibi *decretis* exponit, id est, fide sua, quod esset facile intellectum de fide, ratione objecti et Evangelicæ doctrinæ, vel si intellexit fidem, id est, spiritum fidei, non excludit legem novam, quæ solet etiam nomine fidei significari; unde ad Rom. 3: *Exclusa est, per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei*. Idem vero Chrysostomus clarius exponit decreta, id est, *præcepta*, quæ Hieronymus *dogmata Evangelica* ibidem appellavit; divus Thomas etiam præcepta exposuit, et sequitur ibi, et bene declarat Adam. Christus ergo, suis præceptis suaque lege nova, veterem abrogavit.

15. *Expressa revocatio non necessaria.* — Neque fuit necessaria expressa revocatio, quia opera illarum legum, licet non videantur formaliter repugnare, nihilominus leges ipsæ inter se pugnant. Primo, quia lex nova traditur a Christo, ut per se sufficiens ad salutem, et necessaria, cui repugnat durare necessitatem prioris legis. Secundo, ex fine et significatione talium actuum, quia observantiæ antiquæ legis dabantur ad significanda mysteria futura Messiae: sacramenta autem legis novæ, præsertim Baptismus et Eucharistia, data sunt ad repræsentandam redemptionem jam factam, et mysteria illa jam impleta. Tertio, quia prior lex data est uni populo ad distinctionem aliorum; posterior vero toti mundo, ut Ecclesia habens perfectam unitatem ex omnibus hominibus congregaretur, ad quod necessarium fuit signa et speciales observantias unius populi e medio tollere. Et hoc est quod Paulus dixit citato loco, Ephes. 2, Christum abstulisse medium parietem maceræ, et inimicitias solvisse inter utrumque populum, *Faciens utraque unum*. Item ex vi illius legis constituebatur specialis status reipublicæ habens supremum Pontificatum suum, jurisdictionem, etc. Lex autem nova introduxit novum specialem statum, et Pontificatum diversum cum suprema jurisdictione in totum mundum, ac subinde repugnantem priori statui. Consequenter ergo hæc lex revocavit illam. Et hoc est quod Paul.

dixit Hebr. 7: *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat*.

16. *Quarta quæstio.*—*De Judæis qui Evangelium non susceperunt.*—*Pro his etiam legem veterem abrogatam esse.* — Atque hinc facile constat quid dicendum sit de ultima quæstione, an illa lex sit etiam abrogata pro his Judæis qui Evangelium non susceperunt. Videri enim potest non esse congruum eos liberos manere ab utraque lege, et ideo debere antiqua obligari, dum novam non suscipient. Dicendum vero sine dubio est, etiam pro illis abrogatam esse legem illam, quia simpliciter et in se sublata de medio est, ut probant omnia quæ adduximus: ergo neminem jam obligat per se et vi sua. Item lex illa non desinit obligare Christianos ex judaismo conversos, vel qui ab illis originem ducunt, quia Christiani sunt, sed quia finitum est tempus obligationis illius legis, pro quo lata est, et quia jam evacuata est: ergo etiam Judæos non Christianos per se non obligat. Præterea isti Judæi constituti sunt in statu in quo impossibile est obligari illa lege, quia nec sunt in terra promissionis, nec templum habent, extra quod præcipua sacrificia et præcepta implere non poterant, ut agni Paschalis, Exodi 12, et aliorum de quibus Dent. 12. Item non habent sacerdotes, nec habere possunt, cum non habeant tribuum distinctionem: ergo ex conditione talis status sequitur jam non obligari illa lege, vel certe magnum indicium est absolute et pro tota illa gente cessasse, ut recte argumentatur Justin., d. dial. cum Tryphone. Denique Judæi, etiamsi increduli sint, nihilominus obligantur lege Christi, quia tenentur illam suscipere, et in Christum credere: ergo eo ipso non obligantur lege antiqua, et ita non procedit contraria conjectura. Dico autem per se non obligari, seu ex vi legis, quia ex conscientia erronea poterunt obligari: existimant enim adhuc legem illam retinere suam vim, et consequenter opinantur se per illam obligari, et hoc modo obligantur ex conscientia erronea. Ad hunc enim modum dixit Paul. ad Gal. 1: *Testificor omni homini circumcidenti se, scilicet, ritu judaico, quia debitor est universæ legis faciendæ*, utique ex vi prioris existimationis de obligatione circumcissionis, atque adeo ex conscientia erronea: nam absolute nulla nunc est talis obligatio. Adde vero, quia ignorantia illa non est sine gravissima culpa, dici posse (ut aliqui loquuntur) ligari potius quam obligari, quia, sive illam legem observent, sive non, gravissime peccant: nam si

observant, superstitiosi sunt et infideles; si vero non observant, transgressores sunt legis, qua credunt obligari saltem ex prava conscientia. An vero lex illa etiam quoad omnem utilitatem pro his Judæis cessaverit, dicam inferius.

17. *Solvitur Judæorum fundamentum.* — *Perpetuum vel æternum duobus modis sumi.*

— Ex dictis denique facile solvitur judaizantium fundamentum, quatenus ad ipsos Judæos pertinere potest, quod solum fundabatur in hoc, quia lex illa dicitur data ut perpetua, seu in æternum duratura. Duobus enim modis sumitur vox *perpetuum*, vel *æternum*, in sacra Scriptura. Primo, ut excludat terminum durationis absolute et simpliciter. Secundo, ut solum significet perpetuitatem tantum secundum quid, quæ variis modis contingit. Lex ergo illa non potest dici perpetua in se priori modo: nam constat omnem legem hujus vitæ aliquando esse in se finiendam, saltem cum ipso mundo. Potestque aperte convinci: nam cum minori rigore dici solet perpetuum, quod usque ad finem mundi duraturum est, et tamen neque hoc modo dicta est illa lex perpetua. Quod probatur clare ex eodem loco Genes. 17, ubi et fœdus Dei dicitur fore sempiternum, et Deus ipse promittit Abrahamæ et semini ejus terram promissionis in possessionem æternam: ergo non est magis æternum fœdus quam promissio: at constat promissionem illius terræ non fuisse æternam illo modo, imo sublata jam esse: ergo idem intelligendum est de illo fœdere. Similisque promissio habetur Genesis decimo tertio: *Omnes terram quam conspicias, tibi dabo, et semini tuo in sempiternum*, et similes sunt aliæ promissiones rerum temporalium in veteri Testamento, cum tamen constet et bona temporalia non esse perpetua simpliciter, et de facto illammet terram non fuisse a Judæis perpetuo possessam.

18. *Duplex expositio insinuata ab Augustino.* — *Prima expositio mystica.* — Duæ igitur sunt expositiones indicatæ ab Augustino in eisdem locis: una est mystica potius quam litteralis, ut in eis locis sermo sit de perpetuitate simpliciter, non tamen intelligatur implenda in re illa materiali quæ proponitur, sed in illa vel in alia per illam figurata, seu mystice repræsentata. Ut solemnitas agni paschalis durat perpetuo in se, vel in agno Dei per illum veterem repræsentato; et pactum circumcissionis est perpetuum, non in sola carnali circumcissione, sed in illa vel in spirituali per

illam figurata, quæ fit per Baptismum, et de se perpetuo durat, etiam in patria. Sicque promissiones temporales permanent semper in spiritualibus, quæ in illis ut in figura promittebantur. Ita fere Augustinus, q. 31 in Genes., et quæst. 43 et 124 in Exod., et hanc responsionem videtur sequi D. Thomas 1. 2, quæst. 403, artic. 3, ad 1 argumentum.

19. *Secunda expositio litteralis.* — Secunda responsio, et magis litteralis, est non dici æternam legem illam nisi secundum quid, etiam respectu durationis mundi. Solet autem hoc æternum secundum quid multis modis accipi: unus valde usitatus est, quo æternum accipi solet pro sæculo, ut notavit divus Thomas, 1 part., quæst. 10, art. 2, ad 2, ubi ita exponit illud Exodi: *Dominus regnavit in æternum, et ultra*. Et ita facile potest illi legi accommodari. Accipitur etiam aliis modis in communi modo loquendi consuetis. Dicit enim solet perpetuum, quod sine ullo certo termino præscribitur, quomodo diximus supra, libro 1, legem propriissime sumptam esse perpetuam; sic etiam in materia de Censuris, suspensio quæ sine termino imponitur, perpetua dici solet: ergo multo magis potuit lex vetus, aut fœdus circumcissionis, aut præceptum agni paschalis, dici perpetuum, quia sine termino positum est. Nam licet ex mente Dei solum poneretur donec veniret semen, hoc tamen non fuit in lege expressum, sed subintellectum in ejus conditione et significatione, eo vel maxime quod etiam dici solet in Scriptura perpetuum, quod longissimo tempore, seu per multa sæcula duraturum est, sicut lex illa duravit. Deinde dicitur pactum perpetuum, quod natura sua indissolubile est, licet per causas extrinsecas vel rerum mutationem solvi possit, et sic etiam aliqua quæ per solam vitam hominis durant, solent dici perpetua, ut vinculum matrimonii, professio religiosa, et quædam alia vota. Sic igitur pactum illius legis dicitur perpetuum fœdus, quia dissolvi non poterat, donec impleretur, nec lex illa cessatura erat, nisi per tantam rerum mutationem, cum qua nec veritas illius legis nec ejus obligatio posset subsistere. Et ita etiam exponit dictam locutionem Augustinus in citatis locis, et indicat divus Thomas 1. 2, quæstione 98, articulo 2, ad 2, et videri potest Abul., quæstione 18 in 12 capit. Exodi, ubi idem notat Pereir., et latius Genes. decimo tertio et decimo septimo.